In Dei eterni nomine. Noverint universi quod nos Bernardus Serra parator pannorum lane olim Gerunde nunc in villa Hostalricii commorans et Catharina eius uxor scientes et attendentes nos pro aliquibus urgentibus necessitatibus quibus subvenire nequimus licet pluribus perscrutatis viis peccuniam invenire nullam tamen invenimus minus dampnosam pro quantitate subscripta habenda quam per viam venditionis decime seu partis decime infrascripte quam habemus et recipimus in parrochia Sancti Stephani de Masanis Gerunde diocesis et ex certa scientia per nos et nostros heredes et successores quoscumque presentes atque futuros utilitateque nostra et nostrorum in et super hiis premissa cognita et attenta non vi dolo nec metu inducti sed spontanea voluntate necessitate predicta attenta vendimus et titulo pure et perfecte venditionis concedimus et tradimus seu quasi vobis magnifico Petro de Tiana domicello in pupillari etate constituto filio magnifici et providi viri domini Johannis Sarriera militis in civitate Gerunde domiciliati et domine Yolantis eius uxoris a dictoque patre vestro legitime emancipato donationeque ab eodem de omnibus bonis suis habente et seu dicte magnifice domine Yolanti matri et tutrici vestre pro vobis et nomine vestro acquirenti de bonis vestris et dicte tutele emptori et vestris et quibus volueritis perpetuo totam illam decimam seu partem decime quam Guillermus de Stagneolo et Guillermus de Villari quondam eius heres et successor recipiebant et ego certis et legitimis titulis recipio et recipere consuevi et debeo in dicta parrochia Sancti Stephani de Masanis et decimario eiusdem videlicet tam panis vini canapis linalatia quam etiam aliorum quorumcumque de quibus decima solvatur et solvi consuevit in parrochia supradicta et etiam alibi in quantum decimale dicte parrochie de Masanis se extendit ita quod amodo vos dictus Petrus de Tiana et seu dicta magnifica domina Yolans mater et tutrix vestra nomine vestro et vestri et quos volueritis perpetuo habeatis colligatis et percipiatis et habeant colligant et percipiant totam dictam decimam quam dictus venerabilis Guillermus de Stagneolo et dictus Guillermus de Villari quondam recipiebat et recipere consueverat et debebant et nos recipiebamus et recipere debebamus et nobis pertinet in parrochia supradicta et etiam alibi in quantum decimale dicte parrochie de Masanis se extendit sicut et prout dicti Guillermus de Stagneolo et Guillermus de Villari eius heredes et successor ipsam decimam percipiebant et hoc titulo et vigore huius presentis venditionis et pertinet ad nos videlicet ad me dictum Bernardum Serra dicta decima seu partis decime certis iustis et legitimis titulis. Quamquidem venditionem de predicta decima seu parte decime vobis et vestris ac quibus volueritis perpetuo facimus sicut melius et utilius ad vestri et vestrorum comodum et sanum intellectum posset intelligi sine dolo precio videlicet septingentarum triginta duarum librarum monete Barchinone quod precium a vobis confitemur habuisse et recepisse in hunc qui sequitur modum videlicet quod pro quingentis libris penes vos retinuistis et luere promisistis totum illud censuale precii seu proprietatis quingentarum librarum et pensionis annue viginti quinque librarum quod dictus Bernardus Serra quondam pater meus et ego vendidimus venerabili Johanni Regas mercatori Barchinone et domine Eulalie uxori Michaelis Bosc quondam argenterii civis Barchinone tamquam tutoribus Francisci Narcisi pupilli filii dicti Michaelis Bosc et dicte Eulalie ementibus de peccuniis dicti pupilli cum speciali obligatione dicte decime cum instrumento in notaria Hostalricii confecto vicesima tercia Septembris anno a nativitate domini millesimo quadringentesimo sexagesimo. Item et etiam solvistis tutoribus predictis quadraginta duas libras dicte monete pro duabus pensionibus preteritis et solutis ratis censualis antedicti. Item et etiam pro quinquaginta libris penes vos retinuistis et solvere promisistis totum illud censuale precii seu proprietatis quinquaginta librarum et pensionis annue quinquaginta solidorum olim vero proprietatis septuaginta librarum quod ego dictus Bernardus Serra faciebam et prestabam en — Gaspers baiulo de Palafolls ut habenti cessionem a domina — cessarda civitatis Gerunde. Item et insuper solvistis pro me Anthonio Fabregues cognominato Clari dicte ville Hostalricii decem libras in quibus ego dictus Bernardus Serra sibi tenebar certis de causis. Ulterius vero pro me et nomine meo solvistis Petro Amana dicte ville Hostalricii septuaginta libras Barchinone in quibus ego et Catharina uxor mea sibi tenebamur cum instrumento in posse discreti Narcisi Feixes notarii ville Hostalricii predicte confecto die et anno in eo contentis. Quequidem censualia ex pacto inter nos et vos inhito et convento pro maiori securitate vestri et vestrorum luere seu redimere valeatis et de eisdem atque de aliis predictis peccunie quantitatibus quas vos pro nobis solvendis predictis quibus obligati sumus locum et cessionem a creditoribus predictis et heredibus seu successoribus eorumdem habere et recuperare valeatis ad tenendum et defendendum decimam predictam per nos vobis supra venditam contra quoscumque creditores et ius in eadem habere pretendentes si aliqui sint et contra alias quascumque personas quibus nunc pro tunc consentimus ut predicta per vos empta seu tracta per vos et vestros remaneant. Residuas vero sexaginta libras solvistis michi numerando. Unde renunciando exceptioni dicti precii in modum predictum non habiti et non recepti et parti predicti ita in veritate non existentis et doli mali et actioni in factum beneficioque restitutionis in integrum et omni alii iuri premissis obviam venienti. Et si predicta que vobis vendimus plus modo valet valebuntve amodo precio prelibato totum illud plus damus et scienter remittimus donatione et remissione pura et irrevocabili que dicitur inter vivos. Renunciantes scienter super hiis legi qua deceptis ultra dimidiam iusti precii subvenitur omnique alii iuri hiis in contrarium venienti. Constituentes nos et utrumque nostrum insolidum predicta que vobis vendimus vestro vestrorumque nomine tenere et possidere seu quasi donec de eisdem plenam et corporalem seu quasi acceperitis possessionem quam liceat vobis et dicte matri et tutrici vestre quandocumque volueritis accipere et etiam acceptam penes vos et vestros et quos volueritis perpetuo licite retinere. Et extrahimus predicta que vobis vendimus de iure dominio proprietate et posse nostri et nostrorum eademque omnia in vestrum vestrorumque ius dominium proprietatem et posse vestri et vestre ponimus et mittimus. In presenti dantes illum de iure possidere animo nomine possidetis. Cedendo nichilominus et dando vobis et vestris aut dicte domine matri et tutrici vestre nomine vestri omnia iura et loca omnesque voces vices rationes et actiones reales et personales mixtas utiles et directas et alias quascumque nobis et nostris et utrique nostrum et eorum insolidum in predictis que vobis vendimus pertinentia et pertinentes pertineretque debentia et debentes nunc vel etiam in futurum quovismodo. Quibus iuribus locis vocibus vicibus rationibus et actionibus predictis possitis vos et vestri et quos volueritis perpetuo uti agere et experiri in iudicio et extra iudicium tam in agendo quam in defendendo quam in cunctis aliis modis prout et quemadmodum nos vel nostri aut uterque nostrum vel eorum facere poteramus seu poterat ante huiusmodi instrumenti confectionem et iurium cessionem et possemus seu posset nunc et etiam postea quandocumque. Faciendo et constituendo vos et vestros et quos volueritis perpetuo in predictis que vobis vendimus veros dominos et procuratores in rem vestram et eorum propriam et eorum propriam ad faciendum inde vestras omnimodas voluntates. Salvo tamen semper super predictis que vobis vendimus iure Reverendi domini episcopi Gerundensis et successorum suorum in dignitate episcopali et domini comitis Auzonie et heredis magnifici domini Raymundi Xammar quondam domini castri de Cornilliano pro quoquidem herede dicta decima inmediate et pro dicto domino episcopo et domino comite mediate tenetur in feudum et sic sine aliquo alio retentu quem in predictis non facimus seu reservamus nisi ut premittitur ullomodo convenimus et promittimus vobis dicto magnifico emptori quod predicta que vobis vendimus faciemus vos et vestros et quos volueritis perpetuo habere tenere et possidere petere exhigere recipere recuperare et pacifice et quiete contra omnes personas et inde vobis et vestris firmiter teneri promittimus de firma et legali evictione et legitima deffensione omnique dampno missionibus et interesse litis et extra. Ita quod si forte per quamvis personam cuiuscumque status gradus aut conditionis existat fiet movebitur seu intemptabitur vobis vel vestris in et super predictis que vobis vendimus questio aliqua lis petitio vel demanda in iudicio vel extra quoquomodo in continenti promittimus nos ante vos et vestros ponere preparare et stare in iudicio et extra et in nos et nostros et utriusque nostrum et eorum suscipere et ducere totum onus litis ducereque prosequi et tractare a litis principio usque in finem nostris et nostrorum propriis sumptibus et expensis omnes et singulas causas lites actiones questiones petitiones et demandas que proinde vobis vel vestris fient seu movebuntur qualitercumque pro predictis vel eorum occasione et inde vos et vestros et omnia bona vestra servare et deliberare indemnes penitus et illesos vel vos aut vestri si malueritis possitis ipsas causas lites seu questiones ducere prosequi et tractare per vos vel interpositam personam electione super hiis vobis et vestris penitus reservata. Quoniam ego per me et meos promitto vobis et vestris integriter restituere et fideliter emendare omnia et singula dampna omnesque sumptus expensas et interesse quos quas et que vos vel vestri feceritis et sustinueritis quacumque una cum toto eo quod inde a vobis vel vestris obtentum fuerit seu evictum et hoc tam obtinendo in ipsis causis et litibus quam etiam sustinendo super quibusquidem dampnis missionibus et interesse credatur vobis et vestris vestro et eorum plano simplici verbo sine testibus et iuramento. Remittentes vobis et vestris pacto inhito super hiis onus denuntiandi et appellandi necessitatem. Et pro predictis omnibus et singulis attendendis firmiter et complendis tenendis et observandis pro firmaque et legali predictorum evictione et interesse eorumdem obligamus vobis et vestris utriusque nostrum insolidum omnia et singula bona et iura nostra et utriusque nostrum insolidum mobilia et inmobilia presentia et futura ubique. Et ut predicta omnia et singula maiori robore fulciantur promittimus vobis dicto magnifico emptori et vestris notarioque infrascripto tamquam publice persone hec a nobis pro vobis et aliis quorum interest legitime stipulanti et recipienti ac etiam sponte iuramus per dominum Deum et eius sancta quatuor Evangelia a nobis et ab utroque nostrum corporaliter tacta predictam venditionem et omnia et singula supradicta rata grata et firma semper habere tenere et servare eaque attendere et complere et non contrafacere vel venire aliqua ratione iure modo vel causa. Ad hec ego Johannes Fenals parator civis Gerunde procurator et nomine procuratorio Michaelis Anya filii et heredis universalis Bernardi Anya quondam draperii castri de Episcopali diocesis Gerundensis ad infrascripta peragenda specialiter constitutus et ordinatus cum instrumento in posse discreti Bernardi Johannis auctoritate Reverendissimi domini Gerundensis episcopi notarii publici dicti castri de Episcopali et eius terminorum recepto die decima septima mensis Septembris anni subscripti prout idem notarius suis litteris testimonialibus fidem indubiam facit dicto nomine gratis et ex certa scientia venditioni prefate aliisque omnibus et singulis supradictis tanquam de et cum consensu et voluntate dicti principalis mei factis dicto nomine consentio eaque laudo et firmo. Et nichilominus per dictum principalem meum et suos in hiis successores promitto vobis predicto magnifico emptori et vestris ac etiam sponte iuro per dominum Deum et eius sancta quatuor Evangelia ante dicto nomine corporaliter tacta in animam dicti principalis mei predictam venditionem et omnia alia et singula in ea apposita et contenta dictum principalem meum et suos rata grata et firma semper habere tenere et servare et contra ea non facere vel venire ratione alicuius pacti vinculi et conditionis appositorum et contentorum in nuptialibus instrumentis confectis inter dictam Catharinam sororem prefati principalis mei ex parte patris filiamque dicti Bernardi Anya et domine Catharine prime eius uxoris defunctorum venditricem predictam et dictum Bernardum Serra eius virum ratione quo locus aut et seu in futurum afficerit dictis pacto vinculo et conditioni appositis ut predicitur in dictis nuptialibus instrumentis actis in castro de Episcopali vicesima septima mensis Februarii anno a nativitate domini millesimo quadringentesimo septuagesimo primo clausisque et subsignatis per prenominatum Bernardum Johannis notarium nec non alia quavis ratione sive causa que dici possit sub quavisque verborum expressione. Virtute cuius iuramenti renuntio scienter super hiis dicto nomine legi sive iuri dicenti pactum de futura successione non valere omnique alii legi sive iuri premissis aliqualiter obviam. Ad hec ego Johannes de Sancto Martino canonicus ecclesie Gerundensis procurator cum libera et generali administratione Reverendissimi in Christo patris et domini domini Johannis de Margarit tituli Sancte Lucie in Silice presbiteri cardinalis Gerundensis ac ipsius mense episcopalis Gerundensis de qua procuratione constat instrumento in posse notarii subscripti confecto die octava Iunii anno a nativitate domini millesimo quadringentesimo octuagesimo dicto nomine huiusmodi venditionem domini ratione et pro laudo firmo et laudo salvo tamen semper iure et directo dominio Reverendissimi mei principalis et suorum in dicta episcopali dignitate successorum in omnibus et per omnia. Ad hec ego Petrus de Podio Marino parrochie Sancti Michaelis de Cromibus vicecomitatus de Capraria procurator ad subscripta et alia legitime constitutus a nobili domina Beatrice de Pinos uxore nobilis domini Francisci de Pinos quondam prout de dicta procuratione constat instrumento publico acto Barchinone die vicesima mensis Maii proxime dimissi et clauso per discretum Johannem Mitjavila notarium auctoritate regia publicum Barchinone pro quaquidem domina Beatrice ut domina castri de Cornilliano dicta decima inmediate et pro domino episcopo et domino comite de Capraria mediate tenetur in feudum predictam venditionem domini ratione et pro laudo firmo et laudo salvo tamen semper iure et directo dominio dicte domine Beatricis in omnibus et per omnia. Et ego Johannes Sarriera miles antedictus tenens et possidens castrum et villam Hostalricii atque alia castra villas et iurisdictiones vicecomitatus de Capraria certis iustis titulis ut assero huiusmodi venditionem et pro laudo firmo et laudo nomine quo supra iure tamen et directo dominio domini vicecomitis de Capraria et suorum in omnibus et per omnia semper salvo. Actum est hoc Gerunde tricesima prima die mensis Maii anno a nativitate domini millesimo quadringentesimo octuagesimo tertio. Signum Bernardi Serra et Catharine eius uxoris venditorum. Signum Johannis Fenals nomine procuratorio quo supra consentientis predictorum omnium qui hec laudamus firmamus et iuramus. Testes huius rei sunt Michael Canard et Laurentius Domanech scriptores Gerunde. Et dicta domina Catharina uxor dicti Bernardi Serra predicta omnia firmavit laudavit et iuravit intus villam Hostalricii in posse discreti Narcisi Feixes notarii publici ville Hostalricii in hiis vice et nomine mei Raymundi Mercader notarii Gerunde atque auctoritate regia per universam dictionem domini Regis potestatem habentis scriptores iuratos substituendi presentes die duodecima mensis Iunii anno predicto et sunt testes dictus Stephanus Bruguera presbiter in ecclesia Hostalricii beneficiatus et Bernardus Nagell baiulus de Horto in dicta villa Hostalricii commorans. Dictus vero Johannes Fenals nomine procuratorio quo supra predictis consensit eaque laudavit firmavit et iuravit Gerunde die decima octava mensis Septembris anno predicto presentibus testibus Daniele Mercader et dicto Laurentio Domanech scriptoribus Gerunde. Dictus vero honorabilis dominus Johannes de Sancto Martino procuratorio nomine quo supra huiusmodi venditionem domini ratione et pro laudo firmavit et laudavit Gerunde die lune prima mensis Decembris anno predicto presentibus me notario subscripto et testibus videlicet honorabili Michaele de Segurioles de Sancto Martino domicello et discreto Bernardo Vilar presbitero in ecclesia Gerundensi beneficiato. Et dictus Petrus de Podio Marino procuratorio nomine quo supra ipsius domine Beatricis firmam predictam fecit in villa Hostalricii in posse venerabilis et discreti Narcisi Feixes notarii ipsius ville in hiis vice et nomine mei dicti notarii auctoritate regia potestatem habentis scriptores iuratos substituendi fecit die nona Decembris anni predicti presentibus testibus venerabili Petro Magnan succentore et Bartholomeo Blanc parrochie de Arbucies. Preterea die vicesimo tercio predicti mensis Decembris anno supradicto magnificus vir dominus Johannes Sarriera miles antedictus nomine quo supra predictam venditionem domini ratione et pro laudo firmavit et laudavit iure et dominio directo dicti domini vicecomitis de Capraria et suorum in omnibus et per omnia semper salvo presentibus me notario subscripto et testibus videlicet Michaele Canard et Laurentio Domanech scriptoribus Gerunde superius nominatis.

Signum Johannes Fontanet notarius publicus auctoritate regia substitutus ab herede seu successore Jacobi de Campolongo quondam publici civitatis baiulie et vicarie Gerunde suarumque pertinentiarum notario, tenens scripturas venerabilis Michaelis Renard quondam notarii publici Gerunde, hanc in suis cum suppositis dicti quondam notarii sub dicto Calendario repertam firmatam subscripsi et clausi, cum raris et correctis in lineis ubi legitur "non dolo vel metu" et "anni" et "Hostalricii".

Sit omnibus notum quod nos Bernardus Serra parator pannorum lane olim Gerunde nunc in villa Hostalricii commorans et Catharina eius uxor ex certa scientia confitemur et recognoscimus vobis magnifico Petro de Tiana domicello in pupillari etate constituto filio magnifici et providi viri domini Johannis Sarriera militis in civitate Gerunde domiciliati et domine Yolantis eius uxoris a dictoque patre vestro legitime emancipato donationeque ab eodem de omnibus bonis dicti patris vestri habente et seu dicte magnifice domine Yolanti matri et tutrici vestre quod in modum subscriptum dedistis et solvistis nobis et a vobis habuimus et recepimus voluntate nostre tam numerando quam alias omnes illas septingentas triginta duas libras monete Barchinone pro quibus sive quarum precio vobis et vestris et quibus volueritis perpetuo vendidimus totam illam decimam seu partem decime quam Guillermus de Stagneolo et Guillermus de Villari quondam eius heres et successor recipiebant et ego dictus Bernardus Serra recipio et recipere consuevi et debeo in parrochia Sancti Stephani de Masanis videlicet tam panis vini lini canapis linalatia quam etiam aliorum quorumcumque de quibus decima solvatur et solvi consuevit in parrochia supradicta et etiam alibi in quantum decimale dicte parrochie de Masanis se extendit prout hec omnia ac quamplurima alia in instrumento prenominate venditionis die presenti et subscripta in posse notarii infrascripti confecto latius sunt contenta. Modus vero solutionis dictarum septingentarum triginta duarum librarum talis fuit videlicet quod ex una parte dedistis et solvistis nobis numerando sexaginta libras monete Barchinone. Item ex alia parte penes vos retinuistis et solvere promisistis totum illud censuale precii seu proprietatis quingentarum librarum et pensionis annue viginti quinque librarum quod dictus Bernardus Serra quondam pater meus et ego vendidimus venerabili Johanni Regas mercatori Barchinone et domine Eulalie uxori Michaelis Bosc quondam argenterii civis Barchinone tamquam tutoribus Francisci Narcisi pupilli filii dicti Michaelis Bosc et dicte Eulalie ementibus de peccuniis dicti pupilli cum speciali obligatione dicte decime cum instrumento in notaria Hostalricii confecto vicesima tercia Septembris anno a nativitate domini millesimo quadringentesimo sexagesimo. Item et etiam solvistis tutoribus predictis quadraginta duas libras dicte monete pro duabus pensionibus preteritis et solutis ratis censualis antedicti. Item et etiam pro quinquaginta libris penes vos retinuistis et solvere promisistis totum illud censuale precii seu proprietatis quinquaginta librarum et pensionis annue quinquaginta solidorum olim vero proprietatis septuaginta librarum quod ego dictus Bernardus Serra faciebam et prestabam en — Gaspers baiulo de Palafolls ut habenti cessionem a domina — cessarda civitatis Gerunde. Item et insuper solvistis pro me Anthonio Fabregues cognominato Clari dicte ville Hostalricii decem libras in quibus ego dictus Bernardus Serra sibi tenebar certis de causis. Ulterius vero pro me et nomine meo solvistis Petro Amana dicte ville Hostalricii septuaginta libras Barchinone in quibus ego et Catharina uxor mea sibi tenebamur cum instrumento in posse discreti Petri Feixes notarii Hostalricii confecto die et anno in eo contentis. Unde renunciando exceptioni peccunie non numerate et precii predicti modo predicto non soluti et doli de predictis septingentis triginta duabus libris presentem vobis facimus apocam de soluto cum pacto de ulterius non petendo seu de ulterius agendo sicut melius et utilius ad vestri et vestrorum comodum et sanum intellectum potest intelligi sine dolo. Actum est hoc Gerunde tricesima prima die mensis Maii anno a nativitate domini millesimo quadringentesimo octuagesimo tercio. Signum Bernardi Serra et Catharine eius uxoris predictorum qui hec laudamus et firmamus. Testes huius rei sunt Michael Canard et Laurentius Domanech scriptores Gerunde. Et dicta domina Catharina uxor dicti Bernardi Serra predicta omnia firmavit laudavit et iuravit intus villam Hostalricii in posse discreti Petri Feixes notarii publici dicte ville in hiis vice et nomine mei Raymundi Mercader notarii Gerunde auctoritate regia per universam dictionem domini Regis potestatem habentis scriptores iuratos substituendi presentibus die duodecima mensis Iunii anno predicto et fuerunt testes dictus Stephanus Bruguera presbiter in ecclesia Hostalricii beneficiatus Bernardus Nagell baiulus de Horto in dicta villa Hostalricii commorans.

Signum Johannes Fontanet notarius publicus auctoritate regia substitutus ab herede seu successore Jacobi de Campolongo quondam publici civitatis baiulie et vicarie Gerunde suarumque pertinentiarum notario, tenens scripturas venerabilis Michaelis Renard quondam notarii publici Gerunde, subscripsi et clausi.

\+

Compra dela Decima de Massanas feta
per Pere ~~Carrera~~ hieronimi de bernat serra pa-
rayre de Malrrich per preu de 732 ll.
a 25 maig 1483.
31

Massanas.

Pleits

Nº 1

Massanas 1.

1287

1563

1483 V 21